



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XLVII. Cur Triumphus præmissus Passioni? Dominica Palmarum.
Dicite filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi. Matth. 21. v. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XLVII.

Cur Triumphus præmissus
Passioni?

DOMINICA PAL- MARUM.

Dicite filie Sion: ecce Rex tuus venit tibi.
Matth. 21. v. 5.

§. 1.
Causæ SS.
Bernardi
& Chryso-
stomi.

Cur triumphum ante
victoriam, plausum
ante certamen, diem
honoris ante Para-
ceven doloris Salva-
tor noster celebra-
rit, varias reddunt causas divinarum
paginarum interpretes. S. Bernar-
dus ad augendam Passionis ignomi-
niam id factum arbitratur, volebat
enim cœlestis sponsus myrrham
metere cum aromatibus, amaritu-
dinem passionis cum dulcedine a-
moris: *ut amarior esset Passio, quam
processio præcessisset.* Ipsa certè tri-
umphalis pompa exacerbavit Pon-
tificum animos, ut acerbissimam
triumphatori mortem molirentur;
adeoque irritare in se mortem vo-
luit, quam à triumpho amariorem
fore præcognovit. Et hanc cau-
sam Chrysostomus assignat: *ut mor-
tem quodammodo in se provocaret;*
sicut Leones postea Ignatius in se
irritavit. Expressit piissimus Do-
minus desiderium cordis sui, quo
ad passionem anhelabat tanquam
ad triumphorum triumphum.
Causas cæteras ut præteream, ar-
ridet una præ omnibus, cur trium-
phum passioni præmiserit, ut suâ
quoque comprobaret experientiâ

insignem hanc veritatem, progno-
sticon videlicet certissimum secutu-
rarum calamitatum antecedentes
esse triumphos, sicut ex communi
adagio manè rubens Cœlum ven-
turos indicat imbres, & lusus Del-
phinorum tempestates, & discolor
iris pluviam, & innube cœlum nu-
bila ominatur. Quod in palmaris
triumphi honorem fusiùs demon-
stratum eo.

De Urso scribunt Naturarum
periti; Mœrere illum Cœlo sere-
no, & murmurare, quasi diei claritas
obscuritatem offundat cordi, eò
quod naturali doceatur instinctu,
non diu duraturam eam esse sere-
nitatem. Philippus Macedo tres
nuntios nova faustissima afferentes
continuo acceperat, cum sapiens
Rex infortunium veritus, exclama-
vit: *O fortuna levi aliquo malo me
multa!* Fortuna ut simia est, quæ
catulum plus nimio amatum dum
arctius pectori apprimat, interimit,
unde illud lemma: *Odit amando,*
itâ Fortuna dum pluribus nos or-
nat beneficiis, malefica est, videtur-
que nobis dicere: *Officio officii,* de
ficu ait Theophylactus: *quò ma-
gis irrigatur, eò magis sterilis fit.* &
Theophrastus lib. 2. c. 8. *Dum ri-*

§. 2.
Fortuna
plerum-
que vene-
fica est,
cum bene-
fica.

S. Bernard.
Serm. 2. de
Dominic.
Palmar.

Chryso-
st. in Imper-
f. 2.

gatur, deterio rem fructum parit. Similiter dum nos nimium rigat Fortuna, sterilitatem ominemur. Ægyptiorum Rex Amasis suspectam habuit Polycratis felicitatem nimiam, & ut Herodot. lib. 3. refert *finistri cujusp iam ominis instar ducebat*. Nec sua eum fefellit opinio. nam Polycrate in malam crucem denique acto, manifestè patuit, nihil aliud esse præcedentem felicitatem, quàm subsequens omen certissimum calamitatis.

§. 3.
Josue vi-
dorem ex-
ercitum
adhorta-
tur, nè ti-
meat, cur?

Josue Israelitici exercitus Imperator posteaquam commisso feliciter prælio quinque reges debellasset, eosdemque in fuga salutem sub specu subterranea quæritantes extraxisset, vivosque in suam redegit potestatem, videlicet Regem Hierusalem, Regem Hebron, Jerimoth, Lachis & Eglon, convertit se ad exercitum, ejusdemque ducibus mandat, ut unusquisque pedem suum Coronatorum istorum vertici imponat: *cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, & ait ad Principes exercitus, qui secum erant: ite & sponite pedes super colla regum istorum*. Josue 19. v. 24. quod dum illi impigrè præstant, & prostrata conculcant diademata, adhortatur eosdem Divinus Imperator: *Nolite timere, nec parveatis, confortamini & estote robusti*. Quid hoc sibi vult? num metus superesse poterit inter Israelis principes, quando hostes eorum vinculis onerati in terra proni jacent & herbam porrigunt? num tantæ pusillanimitatis hi milites sunt, ut etiam ab inermi hoste sibi metuant? antea dum pugnae incertus exitus & anceps belli jaceretur alea, non timebant, sed generoso impetu ruebant in hostilia agmina, cur trepidant Victores? cur animat eos Josue, si videt paratos in alios quinque Reges hisce fortiores irrumpe-

re & pro DEO & populo animas prodigere? responsum colligamus ab Ecclesiastico, qui c. 1. v. 8. ita de DEO: *Unus est altissimus Creator omnipotens & Rex potens & metuendus nimis*. Quasi dicat: DEUS est maximis major, optimis melior, beneficentissimis liberalior, hoc est, Altissimus in omni genere perfectionis. Creator est universorum, cui idem est velle ac facere, & potest in æternum quovis momento perfectiorem mundum cælumque formosius citra omnem difficultatem producere. Rex est potentissimus, per quem omnes reliqui regnant, & non plebis tantum, sed Regum omnium vita, fortuna, salus ab ejus nutu dependet. Ille est propensior ad benefaciendum, quàm puniendum, exhauriri non potest ejus munificentia, quò plus dat, plus habet. Quid sequitur? *metuendus nimis*, quin potius diligendus nimis. Amari potius, quàm timeri vult, ideo creavit nos è nihilo, & cor amoris capax nobis inseruit, ut amaretur, ideo se ipsum finem nostrum & omnigenæ felicitatis scopum posuit, ut amaretur, cur ergo Ecclesiasticus amoris præponit timorem? *metuendus nimis*. Respondet Clemens Alexandrinus, ut sensualitati nostræ ad malum proclivi frœnum injiceret, & à præcipitio culpæ deterreret: *Ut homo à lapsu esset alienus, & peccato non affinis*. Advertite Mortales! DEUS est Rex potens, longas habet manus, quæ se ad omnes angulos extendunt; momento ex altissimo cælo in profundissimum inferorum barathrum potest nos precipitare cum Lucifero, Cataractas cæli solvere, uti solvit in diluvio, sulphureos ignes depluere, uti fecit contra Pentapolin, punire potest in flagranti, uti fecit concupiscentibus carnem in deserto: *adhuc esca erat*

in ore eorum. Timete proinde illum, qui est *metuendus nimis*. Bona hæc est responsio, sed quæro meliorem. Salvator noster postquam de beneficiis à DEO in singulos hominum conferri solitis elegantissimam habuisset concionem Luc. 12. adducendo corvos, quibus *non est cellarium, neque horreum, & DEUS pascit illos*. v. 24. inducendo lilia, quæ non laborant neque nent, crescunt tamen. Nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur *sicut unum ex illis*. v. 27. suam denique concludit orationem explicatâ Patris æterni providentissimi benevolentia: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. v. 32. Quia idem est apud interpretes, ac *idcirco quod, nolite timere, quod complacuerit sibi Pater meus in vobis, & elegerit vos ad regnum*. Debebant timere Apostoli auditis tot beneficiis & promissione regni; nam ut aureè S. Chrysologus in hunc locum: *Regnum audire, periculum; temeritas non timere*. Ex specialissima proinde gratia Dominus fervorû mentes tali voce confirmat: *nolite timere*. Et ecce hæc ipsissima causa est, cur Ecclesiasticus postquam insinuâset DEI beneficia, vocârit eum metuendum nimis, quia tunc maximè metuendus, quando est beneficus. Habemus DEUM liberalissimum, qui nos ex stercore erigere vult ad thronum altissimum, qui nos è nihilo creatos conservat manu paternâ & tenet tribus potentia absolutæ digitis, qui velut supremus Rex nos omnes vult suos esse Regulos & cohæredes, & ideo timendus est. Cur ergo Ecclesiasticus (ait Jo. Sylv. lib. 4. c. 17. q. 4.) creatorem timere potius quàm amare jubet? nimirum ut demonstret beneficia nobis sæpe transire

in malefica, & favores, in furores, præcipuè malis, ac proinde nobis valde timendum esse. Habebant itaque causam timendi Josuani milites propter insolens beneficium, & victoriam, ut quinque coronata capita calcare potuerint, habebant, inquam, justissimam metuendi causam, nè immineret post fortunam magnam majus infortunium, uti communiter accidit, nisi extraordinaria accedat DEI benevolentia, quam Josue insinuat: *Nolite timere, nec parveatis, confortamini & estote robusti*. Ratio præsentis timoris militum, erat *victoria*, ait Doctissimus Abulensis.

Similis timor Abrahamum corripuit, postquam quatuor Assyriorum Reges felicissimo prælio profligâset. Gen. 15. v. 1. obtentâ enim victoriâ apparet illi DEUS exercituum, suumque animat victorem, mirâ verborum formulâ: *His itaque transactis factus est sermo Domini ad Abram dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum*. Cur non hæc verba ante prælium DEUS protulit? an major timendi causa post victoriam? cessat jam periculum, ad quid ergo DEI auxilium? putat Lyranus timuisse Abram, nè in victoria, quam habuerat, accepisset totam mercedem justitiæ suæ à Domino. Lucas Burgensis, aliique in ea sunt mecum opinione, timuisse Abram propter nimiam obtentæ victoriæ felicitatem. Magnam enim prosperitatem maxima nunquam non subsequitur calamitas. Justus cum ad te oculos convertat, cœlestia dona timet, inquit Sylveira l. 3. c. 4. q. 15. *tunc videbis & afflues*. Il. 60. v. 5. *Septuaginta legunt & timebis*. Prudentissima timendi causa est, si affluas. Quos Pater cœlestis solidè amat, insolentibus gratiis nequaquam

S. 4.
Consolatione eggerat Abraham post adeptam victoriam.

quam onerat. Elegantissimè Bernardus: *nisi Pater esset, obrueret nos beneficiis.* Alius diceret, quia Pater est, obruit nos beneficiis; novercale videtur, si parca manu conferantur beneficia, verus amor modum nescit, at non sic Theodidacti: *nisi Pater esset, obrueret nos beneficiis*, nimius amor, nullus amor. Obrueret nos ad eum modum, quo Sabini Tarpejam Vestalem Virginem ob proditum Capitolium scutis obruerunt, locò armillarum aurearum, quas promiserant. Obrueret nos, sicut rosis obrutus in amphitheatro Rhodius ille Diagoras, cum tres filios athletas coronari videret; sicut Judas nimis obrutus favoribus interiit, cui in cœna ultima Dominus maximum favorem exhibuit. *Uni Judæ favorem in Hispanis porrexit*, inquit Didacus Ponfer. tit. 1. lib. 3. c. 9. Et tamen hic favor obfuit, in furorem degeneravit. Nunquam homo perditus majori vulnere affligitur à DEO, quam dum favoribus & beneficiis delinitur.

Cic. l. 1.
Tuscul.

§. 5.
Beneficia
nimia
exitio Ju-
dæis fuere.

Pfal. 77.
v. 20.

Ad desertum nos ducit Athanasius, & ostendit hinc mellifluas aquas uberrimè de petra exilientes, inde ignem DEI contra populum diffidentem vehementer accensum: *percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inunda verunt.* Ideo *ignis accensus est in Jacob, & ira DEI ascendit in Israël.* v. 21. Si ignis & furor DEI accensus est in Jacob ob punitionem, quomodo igitur fluxerunt aquæ abundantes? ubi torrens gratiarum, ibi flamma poenarum. Verberabantur Judæi, ait citatus Ponferadiensis, cum pane de cœlo ditabantur ingrati; putabant miseri à DEO se amari, à DEO foveri, dum summa ab eo beneficia recipiebant indies, sed nullo graviore verberare ab eo affligi poterant. Ap. 1. v. 16. Veritas hæc aureo Symbolo adum-

bratur: Vidit Joannes DEum hominem in medio septem aureorum candelabrorum, coma quidem velut lana candida, sed oculi erant scintillantés, *habebat in dextra stellas septem, & de ore ejus gladius utraque parte acutus exhibat.* Stellæ sunt felicitatis ostentum, quas idcirco Augustus nummis suis insculpebat, at stellis conjungitur gladius. In stellis optimis vixit Epulo, at jam hæret in gladio. Bona recepta tormentorum causa sunt, inquit Alexander Pellegrinus in c. 11. Matth. parad. 5. ubi sic concludit: timendus est DEus, cum videtur beneficis, quia ipsa DEI beneficia peccatoribus in hac vita collata supplicia sunt. Veterum adagium refert Paulus Manutius: *DEorum dona sepe non dona.* Exemplum habemus in vita S. Ambrosii, qui cum exitinere divertisset ad cauponem, & quæsiisset: quomodo valeret? respondente illo: status meus Domine semper extitit fortunatus, nunquam quid adversum mihi accidit, nec quo contristarer evenit. At sanctus: surgamus, & hinc quantocyus fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. Vix ad lapidis jactum discesserat Ambrosius, absorpta est domus cum universis, quæ ad ditissimum illum virum pertinebant. Tum Ambrosius ad socios: ecce fratres, quam severè irascitur DEus, cum semper prospera elargitur. Eadem S. Augustini in Psal. 68. est sententia, *ipsa, quæ in rebus humanis felicitas appellatur, plus timenda est, quam miseria.* Nimirum post Phœbum nubila, post malaciam tempestas, post favores flagella, post divitias miseria, post purpuram flamma, post mel, absinthium post ficeram, post epulas carbones, post mensas gehenna. Hic est omnis fortunæ finis, sed quid postea? infortunia sine fine.

Ti-

Timet Navarchus cum malicia tempore delphinos saltitare ac lusitare conspiciat, quo exclusu horridam præominatur tempestatem. Pavet Astrologus, cum novo phœnomeno micare cœlum videt, illud Manilius repetit: *Nunquam futilibus incanduit ignibus æther.*

Prævidet colonus, cum manè rubens cœlum intuetur, diem sine pluvia non terminandam, timeamus, cum purpurascere in favores cœlum, aut insolitam felicitatis affulgere stellam, aut colludentem votis nostris fortunam conspicamur, illud enim, dum colludit, lacrymarum portendit imbrem, dum purpureo arridet ore; præficam accendit facem, dum inusitati fulgoris cometam præmonstrat. Timeamus non Fortunam, quæ nihil est, quàm Fortunæ Authorem & rerum humanarum Moderatorem, qui nunquam magis timendus est, quàm cum favoribus nos obruere videtur.

§. 6.
Joannes
vifo cum
stellis
Christo
corruit ex
animis
cur?

Dilectus JESU discipulus ad Magistri sui conspectum raptus, in faciem adeo horrificam incidit, ut exanimi similis corruerit. *Cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus.* Apoc. c. 17. Quid quæso in amantissimo JESU esse potuit, quod Joanni generosæ isti aquilæ, animoso tonitruo filio, gratioso Divini pectoris inquilino horrorem tantum incutere potuit, ut ipsam corpore animam expellere videretur? an fortè flagra manu intentantem vidit? at vidit illa bis olim in Christi manibus cum sacrilegi profanatores templo eliminarentur, nec tamen ad mortem concussus est. An voce terrificâ biverbium illud repetentem audivit: *Ego sum?* at voci huic pridem assvetus fuit. Nihil horum vidit, nihil audiit, ipse exponit causam metus: *Et habebat*

in dextra sua stellas septem v. 17. stellas vidit, ideo contremuit. Sigla dios stringentem, lanceas minantem, fulmina vibrantem vidisset, quid mirum? at à benignissimis sideribus, quis metus, quæ angustia quod periculum? Stellæ apud Authores passim Symbola sunt gratiarum, & donorum Divinorum, hæc verò servis DEI summum timorem incutiunt, dum secum attentius reputant strictissimas olim rationes coram tribunali formidabilissimo reddendas.

Aliud insuper Joannes vidit, unde illi horripilatio & deliquium: *Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Mirabilis gladii vagina, divinum os. & quis iste gladius? B. Petrus Damianus & B. Zeno Veronensis per gladium accipiunt Spiritum Sanctum. *Gladium ex ore Christi utraque parte acutum exeuntem, Spiritum Sanctum intelligere possumus, qui à Patre Filioque procedit.* O DEUM! quis putasset alicui occurrere interpretationem ejusmodi? ergo Spiritus Sanctus est gladius & utraque parte acutus? ita, ut quoquò verteris, secare, vulnerare, mutilare aptus sit? audiamus, quid de Spiritu Sancto testentur S. litteræ Sap. 7. v. 22. *Vocatur s-varvis, amans bonum, benefaciens, humanus, benignus.* Sap. 12. v. 1. *O quam bonus & s-varvis est Domine Spiritus tuus in omnibus.* De illo S. Bernardus Serm. 1. de pentec. *Dulcissimum quiddam in DEO Spiritus Sanctus est, benignitas DEI, & idem ipse DEUS.* de illo S. Ecclesia. *Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium, in labore requies.* &c. Et ecce hic benignissimus Spiritus in acutum transit gladium, ut, quo nihil antea lenius, nihil postea sit severius. Sic nimirum beneficæ
O O 2
DEI

DEI vertuntur in supplicia, blandimenta in tormenta, mel in fel, medicina in venenum; Spiritus Sanctus ex columba transibit in tigridem, ex rosa in gladium, ex Confolatore in Judicem Vindicemque, & hoc est, quod cordatos excordat, & exanimat, recordatio ipsa beneficiorum pro quibus rationes strictissimas DEUS exigit. Eleganti Symbolo Gladius pingitur, qui ad cotem oleo olivarum tinctam acutur, cum lemmate: *Lenimine acutior*. leni oleo durum ferrum acutur, & svari beneficiorum divinum oleo gladius Justitiæ acuetur, ut gravioribus maententur à Justo DEO suppliciiis, qui beneficiorum oleo deliniri noluerunt esse filii olei aut Olivæ in domo Domini.

Dionysius Uticensis l. de agricultur. 4. Infallibile longioris hyemis prognosticon esse affirmat, si extraordinariè copiosis fructibus onerentur quercus: *Ilices & quercus multum fructum ferentes diuturniorem hyemem fore significant*. Timete Dominum omnes servi ejus, quando videtis ex arbore Crucis (quæ fuisse quercus dicitur) copiosiores vobis fructus provenire, Parebit in die novissimo signum Filii hominis, ut hyemem æternam prognosticet.

Observeo quid curiosum in sermone Domini à cœna ultima. Luc. 22. Quærit Dominus, *nunquid aliquid defuit vobis*. v. 35. at illi dixerunt: *nihil*. tum illos mox commonet, ut vendat unusquisque tunicam suam & emat gladium. v. 36. & addit causam. v. 37. *dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: & cum iniquis deputatus est*. Ideo ne gladius emendus, quia cum iniquis deputatur JESUS? en mysterium: si tibi

nihil desit, emé gladium timoris, quia cum iniquis deputaberis. Sic deputatus est Judas, contra quem Cyprianus Serm. de cœna Domini: *melius erat molâ asinariâ collo alligatâ mergi in pelagus, quàm illotâ conscientia de manu Domini buccellam accipere*. Nimirum quidquid recipitur per modum recipientis recipitur. Quidquid diligenti DEUM accedit, honor aut ignominia, abundantia aut penuria, consolatio vel mœror, in bonum cooperatur, quidquid injusto accedit, in malum cedit. *Ad omne fortuitum bonum suspensi & parvuli subsistite, quia beneficium insidiæ fortunæ est*. Senec. ep. 4. ad Lucil. Contra has insidias vigilemus, paveamus, caveamus.

In problematis Coronam, Emblema apponamus fingamusque Cometam in æthere, in nubibus Iridem, Delphinos lusitantes in Æquore, in terra gravidam glandibus ilicem, vel quercum, quercui inscribamus: *acrior instat hyems*. Delphinis: *tempestat fœda sequetur*. Iridi: *desinet in lacrimas*. Cometæ: *lux adferet ista tenebras*. Cometæ instar se habet omnis prævia felicitas, secuturæ certissima prodroma calamitatis. Sicut iris in pluviam, sic omnis plausus & risus in plañtum & lacrymas resolvitur. Favor Fortunæ lusus est Delphinorum, ex quo certius nihil quàm periculofam inferas tempestatem. Ilex præter morem abundans glandibus longam prædicat hyemem, insolens aliqua felicitas longam miseriam ominatur, Frugiferum autumnū sterilis hyems subsequitur, amœnitatem moderati veris immodicus excipit æstus æstatis, ita prosperitatem quamlibet præsentis vitæ præsentissima comitatur ærumna. post Bacchanalia diem Cinerum expecta; post Dominicam

Le-

*Letare, Dominicam Passionis; post dolorum. Sic semper actum est, sic
Palmas & triumphos, pasceven agetur semper, & non aliter.*



PROBLEMA XLVIII.

Cur manè Mulieribus Christus
apparuerit?

DOMINICA PA- SCHÆ.

*Valde manè unâ sabbatorum veniunt ad monu-
mentum Marc. 16. v. 2.*

§. 1.
Cur Mulieribus prius ac Apostolis Christus apparuerit.

Hesychius author antiquus ingeniosum movit problema: cur redivivus JESUS apparuerit mulieribus cum dilucesceret, discipulis verò cum advesperasceret? non miror prius feminis, quàm viris visum esse, id enim merebatur feminarum præ viris Zelus, atque devotio, utpote quæ patientem Dominum planxere tenerius, crucifixo adhasere constantius, sepulto parentavere devotius, & jam priores Apostolis venerunt ad sepulchrum, nullo custodum timore absterritæ, nullo Pontificum livore impeditæ, nullo vitæ, fortunarum, famæque periculo retractæ, quo minus Dominico corpori impenderent obsequium, & cum ungentis primâ luce ad sepulchrum advolarent. Non, inquam, quæro cur prius Mulieribus gloriosam suam anastasin revelarit Dominus, sed cur manè, non meridie, non serò familiari easdem alloquio sit dignatus. Cujus Myserii duplicem ut brevis sim, ratio-

nem reddam, quarum altera in vituperium, altera cedat in devotio sexus encomium.

Cur manè mulieribus, serò hominibus Dominus JESUS apparuit? ad hanc quæstionem respondet author ingeniosus: ut à circumspecta JESU diligentia ediscant viri, mulieres nec consalutare, nec cum eis sermonem miscere, nisi sub aperta manifestatione; sub caligine verò non decet viros spirituales colloquia habere cum mulieribus. Hæc ille ad mentem D. Hieronymi epistola ad Oceanum: *præcipue illad reor attentius providendum: prima tentamenta Clericorum sunt mulierum frequens accessus; quid tibi revera cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis? prohibe Virgines tecum morari, etsiamsi de tuo genere sint, ubi enim cum viro habitant femina, viscarium est diaboli.* Serò cum femina egit Petrus, & quidquid non tantum die totâ ac potissimum in cœna Dominicâ, sed toto quo in Apostolico Collegio conversatus fuerat triennio, virtutum meritorumque

§. 2.
Cur manè apparuerit mulieribus, causa ex Serlogo Sect. 9. sit c. 4. Cantio.